DOCTORIS AUGUSTINI PANTÒ ... OPUSCOLA: DOCTORIS AUGUSTINI PANTÒ...

Agostino Pantò

Digitized by Google

DOCTORIS

AUGUSTINI PANTÒ

CANONICI IMPERIALIS CAPPELLÆ

Divi Petri Sacri Regii Palatii

URBIS PANORMI

OPUSCULA

5
5
264

EX AUCTORITATE PUBLICA

PANORMI Antoninus Gramignani excudebat

Anno CIↃ IↃ CCXXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SUBSTITUTIONIBUS HÆREDITARIIS

A D

Academiæ Juſtinianeæ Alumnos

PROŒMIUM

VEreor ſane ne cui veſtrum, qui multa cùm veterum, tum recentiorum Juriſconſultorum hac de re ſcriptis tradita ſciverit, conatus omnes ſtudiumque noſtrum, quod in hujus argumenti tractatione paranda adhibuimus, inane prorſus ac ſupervacaneum fore videatur. Nam quum hæc ſatis cumulatè copioſeque hactenus ſint diſputata, exorſa ante diceret, ac detexta propè retexeret qui in iis reſumendis operam ſuam collocaret. Verùm id ab inſtituto me non deterruit, qui hominum rectè judicantium ſententiâ non quidem in rebus, quibus vel librorum indices ad nauſeam uſque abundant, ſed earumdem rerum delectu, ac verborum concinnitate, utrorumque exornatione atque ordine, omnem ſcribendi laudem ſitam eſſe intellexi. Multa enim, ait Verulamius, (a) in modo rei, & circumſtantiis ejus nova ſunt, quæ in genere ipſo

nova

(a) *lib. 4. de aug. ſcient.*

nova non ſunt. Itaque acturus de Subſtitutionibus Hæreditariis optima tantùm, quæ ex libris Digeſtorum & Codicis, legibuſque noſtris municipalibus maximè ſuppeditantur, quoad facultas feret, depromere enitar. Et quoniam muneri noſtro Jus Civile docendi convenit, idque nobis quoq; voluntatis accidit, ut hac de re tam difficili & obſcura ad forenſem tamen exercitationem accommodanda perquambreviter ſcriberemus, præter Legum volumina pleroſque Auctores diligenter à nobis evolvendos ſelegimus, cùm ex iis, qui temerè aliorum placitis tanquam legibus perpetuò addicti, mentis uſu atque vi deſtituti quodammodo videntur, tum maximè ex Criticis, qui facultatum ope juriſprudentiam comitantium, vera à falſis diſcernere ſtuduerunt; illiſque veluti unum in locum coactis, quod quiſque commodè ac præclarè dicere videbatur, excerpſimus, variiſque ex ingeniis ea, quæ à benè proviſis & diligenter exploratis juris principiis non abhorrent, magnâ conquiſita curâ libavimus, & ex noſtro quoque pauca quædam ex ipſamet recta legum interpretatione elicita, vel Forenſi uſui admodum profutura in commune contulimus. Quod ſi ea, quæ in hac tractatione exponuntur, tantopere à vobis addiſcantur, quanto ſtudio electa ſunt, opuſque hoc noſtrum contexuimus: profecto neque vos ſuſcepti laboris, neque nos induſtriæ noſtræ pœnitebit. Sed de his ſatis, ut arbitror, alibi dictum eſt; nunc ad inſtitutum revertamur.

Digitized by Google

DOCTORIS

AUGUSTINI PANTÒ

DE RECTA

JURIS CIVILIS INSTITUENDI RATIONE

AD

Cupidam legum juventutem

ORATIO.

EX AUCTORITATE PUBLICA
PANORMI Angelus Felicella excudebat
Anno CIↃ IↃ CC XX VIII.

Digitized by Google

vit, ut ſuam apertè ferret ſententiam. Qua de re certior factus auctor, ſuis viribus, ſuoque ingenio de more valde diffiſus, ab eo per literas majorem in modum efflagitat, ut, ſicut neceſſitudinis ratio, ejuſque natura poſtularet, ſi qua reprehenſione digna offenderet, ea auctoritate, qua plurimùm apud omnes cùm in omni re, tum in hoc maximè negocio ſemper valuit, liberè commutet, emendet, deleat. Itaque Cl. Muratorius pro ſua, qua pollet, humanitate, primùm Comiti Perlongo nunciavit, Orationem magna cùm delectatione, & voluptate perlegiſſe, eamque hoc uno defectu laborare, quòd adhuc ad ſaniorem juriſprudentiam magis, magiſque excitandam typis evulgata non fuerit; dehinc ſuperius judicium confirmans, per epiſtolam datam V. Kal. Aug. proximè elapſi auctori ad ſingula hiſce verbis reſpondit.
Ora vengo alla di lei Orazione latina intorno alla maniera d' iſtituire la gioventù nelle leggi, che in fatti ricevei dal Sig. Conte Perlongo. La leſſi con particolar

colar piacere ; perchè in eſſa trovai un egregio ſtile latino , e di ſode rifleſſioni intorno alle Iſtituzioni di Giuſtiniano , facendo ella conoſcere anche in queſto , di quanti bei lumi ſia provveduta per migliorare la diſciplina legale. Me ne rallegro pertanto vivamente con eſſolei. Scrive ella , che eſſa Proluſione fu compoſta ſenza ordine , e diligenza ; non mene ſono accorto io : l'ho trovata sì mancante di una ſola coſa , e queſta è , che correr dovea ſtampata per le mani di tutti , non già manoſcritta per me ſolo , che queſt'onore ben ſi doveva ad un tale componimento. Seguiti ella ad iſtruire così la gioventù, e ſia certa di un gran plauſo. *Quibus ex cauſſis Antonius auctoris germanus frater hoc judicio magnopere fretus , quod quanti faciendum ſit , nemo eſt , qui ignoret , meis typographicis monimentis Orationem ultrò tradidit , atque tuto , alacrique animo in lucem edi curavit. Utinam ea fortuna literariæ Reip. ſit , ut cætera , quæ ab auctore parantur opera , in lucem quàmocyſſimè prodeant! Sed hæc hactenus.*

Te

Te monitum velim, Orationem hanc in Academia Boni Guſtus nuncupata, paucis ab hinc annis Panormi erecta in ædibus Comitis Filingerii Principis S. Flaviæ, fuiſſe habitam III. Non. Jul. (in qua artes, diſciplinæque ferè omnes ſumma cum ingeniorum contentione certatim excoluntur) eamque latinis, græciſvè carminibus in auctoris laudem comitatam. Ex his quidem, quæ potui, diligenter collegi, rem tibi gratiſſimam facturum exiſtimans, ſi nunc eadem typis pervulgata præbeam. Vale.

APPROBATIO.

JUſſu Reverendiſſimi Domini D. Philippi Sidoti Vicarii Generalis &c. maxima animi voluptate perlegi Orationem, *de recta Juris Civilis inſtituendi ratione*, Auctore S. T. & U. J. D. Auguſtino Pantò, egregio Juriſprudentiæ Profeſſore, & in ea nihil orthodoxæ fidei, vel bonis moribus diſſonum comperi: immo Auctoris ingenium, doctrinam, & eruditionem dilucidè animadverti; ideoque dignam cenſeo, ut in publicam lucem prodeat, tanquam Prodromus aliorum operum doctiſſimi Auctoris, ad publicum beneficium. Panormi 17. Septembris 1728.

Can. D. Antoninus Mongitore.

Stante ſupradicta Approbatione Imprimatur.

Sidoti V. G.

AP-

APPROBATIO.

EGo infraſcriptus ex mandato Illuſtriſſimi Domini Tribunalis M. R. C. Præſidis, & in Siciliæ Regno Magiſtri Juſtitiarii Locum-tenentis D. Caſimiri Drago perlegi Orationem, cui titulus, *de recta Juris Civilis inſtituendi ratione*, Auctore U. J. & S. T. D. Adm. Rev. Domino D. Auguſtino Pantò in hac Urbe Panormi Juriſprudentiæ eximio Profeſſore. In ea non modò nihil adverſus Auguſtiſſimi Cæſaris, Regiſque noſtri jura, Regnique Sanctiones perpendi, verùm etiam perplures res, quas dilucidè ſuppeditat Auctor doctiſſimus, ac eruditiſſimus in excitandis ſtudioſorum juvenum animis ad juris ſcientiam addiſcendam graves, opportunaſque comperi. Idcircò illam dignam cenſeo, quæ typis mandetur, multorum profectui profutura. Actum Panormi in Conventu S. Mariæ de Miſericordia die 20. Septembris 1728.

F. Salvator Maria Ruſſo à Panormo Tertii Ordinis S. Franciſci S. T. Magiſter, & Librorum Cenſor Deputatus.

Stante ſupradicta Approbatione Imprimatur.

Præſes Drago.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

INVALUIT jampridem illa multorum nedum falſa, ſed futilis de juriſprudentia opinio, juris civilis neque ſcientiam, neque artem ullam eſſe, magiſque vanâ quadam, & fortuitâ hominum exiſtimatione, quàm certâ aliquâ ratione conſtare; quibus vellem ſatis cognita eſſet Philoſophorum ad unum omnium, ac primi ordinis Juriſconſultorum ſententia, qui hominum parùm conſideratè loquentium, atque in maximis rebus errantium ejuſmodi opinionem eſſe judicarunt; nam earum rerum, quarum ars nondum ſit,

Digitized by Google

artem effici poſſe, nemo eſt, qui ambigat, ſi ea, quæ fuſè olim diſputabantur ac liberè, ad quædam perpauca genera, & ad certum numerum, paucitatemque revocentur, quò in unum veluti coactis, in rudium, & inertium adoleſcentium animos artificioſiùs influant. Qua de cauſſa hominum ingenioſiſſimorum totas ætates in eo maximè ſtudio videmus eſſe contritas, quo rebus inventis ſupervacanea primùm detrahuntur, dein (quod ſibi totum Philoſophi aſſumunt) ſingulæ res quadam ratione conſtrictæ ad generum ſummas rediguntur. Si enim, inquit Marcus Tullius, (a) aut mihi facere licuerit, quod jamdiù cogito, aut alius quiſpiam me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, ut primùm omne jus civile in genera digerat, quæ perpauca ſunt, deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat, tum propriam cujuſque vim definitione declaret; perfectam artem juris civilis habebitis magis magnam, atque uberem, quàm difficilem, & obſcuram. Quod autem in votis habuit Tullius, atque ſe facturum

(a) lib. 1. de orat.

ali-

Digitized by Google

aliquando credebat, ſuperque ſatis Juſtinianus Inſtitutionum libello videtur præſtitiſſe, in quibus facilitas, quam prædico, (inquit ſummus omnium Juriſconſultorum, quos recens tulit ætas, Jacobus Cujacius, (a)) ut non poteſt eſſe magna? conditis ordine, & arte tantâ, quantam vix ullus hodie conficere poteſt, aut poterit unquam: definitionum, & diviſionum, vel partitionum elegantiſſimarum plena omnia: juris veteris à jure novo ſeparatio perſpicua: & in his ſingularia innumera, quæ vix in aliis invenias noſtris, alieniſve auctoribus. Jure ergo ab eodem Cujacio (b) hiſce laudibus extolluntur: Ex libris juris civilis, quibus ſolis nos uti Juſtinianus voluit in reſpondendo, litigando, in judicando, libello Inſtitutionum neque comtior, neque facilior ullus eſt, quive interpretem deſideret minùs, ut planè illorum videatur eſſe ocium ignobile, qui eum libellum longiſſimis onerant commentariis, quod poſitum eſt in una cognitione, in infinita diſpertientes. Quibus ex rebus apparet, quantum de juriſprudentiæ digni-

(a) lib. 11. obſerv. cap. 38.

(b) Ibidem.

tate detraxerint, qui in artem redigi non poſſe exiſtimarunt, quum id non modò fieri poſſe, ſed etiam Inſtitutionum libello Juſtinianus ſe factitaſſe demonſtret, deletâ nimirum rerum prolixitate, ac veluti in unum liquidum ſtagnum univerſi juris principiis corrivatis, ad quæ tanquam ad capita, & fontes, leges omnes, & particularia jura referuntur. Reperiebatur enim jus civile in immenſa legum volumina, ſententiaſque tercentum mille diſpartitum, ut perdifficile ad præſens foret perdiſci, ſi Juſtinianus ope Juriſconſultorum, diligentiâ, atque ſtudio, quod animo conceperat, minus feliciter ad exitum perduxiſſet, traditis totius civilis diſciplinæ elementis, ab omni penè legum corpore eliminatis, atque in unam veluti epitomen coactis, quibus adoleſcentes imbuti, reliqua, quæ in foro latiùs diſputantur, per ſe facilè perſequi valeant. Neque eſt omnino ars ulla, inquit Tullius, (a) in qua omnia, quæ illa arte effici poſſunt, à doctore tradantur; ſed qui primarum, & certarum rerum genera ipſa didicerunt, reliqua

(a) lib. 2. de orat.

Digitized by Google

qua per ſe non incommodè perſequuntur. Hanc autem maximam commodorum partem, quam Juſtinianus rerum paucitate, ſelectu, atque ordine in jus civile magnâ omnium verè Juriſconſultorum commendatione invexerat, plerique ſemidocti, nec ſatis feliciter ad tantam ſcientiam inſtituti, nec in ceteris diſciplinis ullo ferè modo verſati, evertere nituntur, laborantes magis ad difficultatem augendam; quàm ad rationem parandam, & viam, qua juriſprudentia faciliùs, & commodiùs ordine tradatur, nexuque ſuo menti firmiùs adhæreſcat. Quid? Juſtinianus ex multis, quæ olim in jure civili diſperſa, ac confuſa reperiebantur, optima ſelegit, curam omnem impendit, ut rectà methodo cupidæ legum juventuti traderentur, atque viam ad rem diſcendam artificiosè aperiret: hanc omnibus propoſitam eſſe voluit: hanc præſtantiſſimi Jureconſulti dumtaxat amplectendam putarunt. Sed tamen mirari ſæpenumero ſoleo, cur plerique ſive interpretum vetuſtiſſimi, ſive eorum, qui recèns in inſtitutiones commentaria con-

ſcri-

ſcripſerunt, ab hac ſanè docendi ratione longiſſimè aberrarint? nam quum incipientibus viâ opus ſit, ſed ea planâ, ſimplici, & expeditâ, ne eo tempore, quo præcipuè alenda ingenia, atque indulgentia quadam enutrienda ſunt, difficultate rei adipiſcendæ deterreantur, omnique ſpe comparandæ ſcientiæ in ipſomet aditu penitus amiſsâ, ad deſperationem impellantur; hi contra, implicatiſſimas, ſeu potius intempeſtivas, alienaſvè diſputationes ad ſcholas imperitè adduxerunt, atque ne parùm multa ſciſſe viderentur, ea conquiſiverunt, quæ nihil attinebant, quibus ita rem omnem involvunt, ut neque ipſi ſci (mitto nunc adoleſcentes) explicare omnino, aut exitum ullum invenire poſſint. Mirantur equidem, qui nuper ad hæc ſtudia admoti ſunt, tam exundans auctorum, ſententiarumque inter ſe diſſidentium flumen, tam paratam argumentorum copiam, tam variam, longioremque rerum expoſitionem; ſed quem tandem ex difficultate inſtitutionis tam numeroſæ, atque perplexæ capient fructum? ſcilicet ut rudiores

diores

Digitized by Google

diores è ſcholis abeant, quàm venerant. Nam ea tam confuſa ſunt, atque incerta, ut nemo, quamvis ſublimi ingenio fuerit, quæ diſcenda, quæ repudianda forent, diſcernere valeat, omniaque a præceptoribus tradita tanquam juris regulas excipit, quanquàm nihil certi contineant, vel ſi quid eſt, quod pro certo, exploratoque habeatur, id tamen quæſtionum inutilium involucris debilitatum, perpetuam animi hæſitationem inducit, adeout in eo conſiderando ſæpè animus in contrarias ſententias diſtrahatur, perinde quaſi rerum dubitabilium naturam acquiſierit. At quid cauſsæ cenſetis eſſe, cur hujus quidem rei exempla in Juriſperitis ubique occurrant, quibus moris eſt, ait Verulamius, *(a)* ut dubitationem ſemel admiſſam, perpetuam eſſe velint, nec minùs dubitandi, quàm aſſerendi auctoramenta amplectantur? quum tamen ille demum ſit ingenii uſus legitimus, qui ex dubiis certa faciat, non qui certa in dubium vocet. Profectò id in cauſſa eſſe arbitramur, quòd ineuntis ætatis ingenia rectâ

(a) Lib. 3. de dignit. & aug. ſcientiarũ cap. 4.

juris

juris civilis capeſſendi ratione deſtitutæ vires ſuas ad alendam potius dubitationem, quàm terminandam intendere, & applicare aſſueſcant: ſiquidem ſtudioſorum animi, quibus ſemel imbuti ſunt, fictis, ac commentitiis ſententiis, aſſiduitate, ac uſu, eas poſtmodum non probabilium loco dumtaxat habent, ſed tanquam certas adhibere nequaquam dubitant. Quapropter ſummus eſt error illorum magiſtrorum, ad quos liberos noſtros mittimus, qui inani doctrinâ imbuti, relictis generibus, quæ in jure valdè & modica ſunt, & illuſtria, initio juventutis inſtituendæ, aut inutilium quæſtionum congerie ita rem omnem involvunt, ut nequeant ſatis, ut dixi, explicare, quæ ſcribunt, aut res leviſſimas pro maximis ſemper habentes, magno conatu magnas ineptias tractant. Hi quidem, qui in jure docendo inutilia, aut ad rem parum attinentia perſequuntur, quibus pœnis affici mereantur, ex quadam conſtitutione Juſtiniani (*a*) facilè comperietur, qui quum audiſſet quoſdam imperitos homines divagari, & doctrinam diſcipulis adulteri-

(*a*) Ad Anteceſſores in Prœm. Dig.

terinam tradere, eos ſub hac interminatione repellit, ut ſi auſi fuerint in poſterum hoc perpetrare, denarum librarum auri pœnâ plectantur, & rejiciantur ab ea civitate, in qua non leges docent, ſed in leges committunt. His ergo de cauſſis legum ſtudioſorum inſtitutioni operam daturus, Juſtiniani methodum (qua nulla profectò melior eſt) ſervare conatus ſum. Non enim ſumus ii, ut ſæpè dicere ſolemus, quorum oblectetur animus rebus, quibus juvenum mentes huc illuc diſtrahi magis, quàm firmari, ut par eſt, docendi uſu experimur. Multitudinem ergo rerum, ac quæſtionum forenſium congeriem non modò non contemno, ſed etiam vehementer admiror; nobis tamen, qui non in foro verſamur, ſatis eſt ea de foro & ſcire, & dicere, quæ non abhorrent à ſchola, quæque ut quamminimum à juriſprudentiæ principiis recedant, leviter à doctore ſunt attingenda. Caput enim eſt in omni opere inſtituendo, ut verborum ſimul, atque rerum ratio habeatur, delectis tantùm iis, quæ ad finem ſuſcepti operis propiùs

accedant . Itaq; noſtras Inſtitutiones , quas jamdiù , quantùm facultas noſtra tulit, abſolvimus, ac dilucidè, planèque quotannis explicare conamur magna auditorum celebritate , atque , ut videmur , profectu , ita contexuimus , ut , vitatis quibuſdam ineptiarum concertationibus , quarum diſceptatio ſemper mihi puerile quoddam viſa eſt , ea adoleſcentibus traderem , quæ univerſæ juriſprudentiæ partes veluti in epitomen conſtrictas complecterentur : quò facilè intelligant ad tantam ſcientiam acciti, ſe omni opera eniti oportere , ut, poſtquam integras inſtitutiones ordine ſuo probè calluerint, non mancam, ſed omnibus, ut ajunt , numeris expletam , atque perfectam adipiſcantur. Ut enim animo occurrit , quantùm cupidæ legum juventuti prodeſſe poſſem, ſi, ut jamdudum mihi curæ fuit, rectam viam ad eas addiſcendas commonſtrarem, ſtatim eò cogitationes meas conferendas eſſe putavi, ut ante quidnam eſſet juriſprudentia quàm diligentiſſimè inveſtigarem. Quid enim ſtultius, quàm opus, quod ſibi quiſque medi-

tan-

Digitized by Google

tandum, verſandumvè proponit, vel ex parte, vel penitùs ignorare? ac mihi quidem, quod animo diu conceperam, pro viribus perficere cupienti, primùm in mentem venit, juriſprudentiam, quam omnes norunt, divinarum, atque humanarum rerum eſſe notitiam, juſti, atque injuſti ſcientiam, ab aſſidua juſtitiæ contemplatione, reguliſque illius in ſingulis rebus exercendis profectam; eamque comitari præſtantiores, utilioreſque diſciplinas, politiam, œconomiam, ac etiam moralem, & rationalem philoſophiam, quarum altera leges peperit, altera ex Græcia à Servio Sulpicio in juriſconſultorum ſcholas traducta, ſingulas res vagè disjectas, & confuſas ad generum ſummas revolvere, eaque in ſuas diſtribuere partes docuit; quod Craſſus Ciceronianus pollicitus eſt, (*a*) ſe nimirum jus civile in certa genera coacturum, & ad artem facilè redacturum. Præterea hac in re mecum ipſe perpetuò meditatus ſum, græcam, atque romanam eruditionem ita cum juriſprudentia cohærere, ut rudis, cæca, atque

(*a*) lib. 2. de orat.

Digitized by Google

penitùs in barbariem adhuc inclinata jaceret, ſi illius luminibus non eſſet referta, atque maximos labores, quos in tanta temporum obſcuritate ceteri interpretes eruendis legum ſenſibus impenderunt, primus omnium Andreas Alciatus, dehinc Jacobus Cujacius eruditione juri civili ingenitâ, ac ſcribendi nitore non perfeciſſent. Ex hoc ſanè ſtudio abdita temporum, atque rerum geſtarum notitia, propria ſingularum rerum vocabula, ſelectiora dicendi genera, recta legum interpretatio, forique exercitatio ducuntur: his rebus jus civile amiſſam lucem recuperavit, ac tandem ſchola prodiit Cujaciana, à Cujacio magiſtro omnium ita appellata, cujus è ludo, ut de Iſocrate Tullius, (*a*) tanquam ex equo trojano innumeri principes exierunt, qui omnium ſententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus, ac venuſtate, tota mente illorum temporum barbariem adoriri cœperunt, atque de verborum ſignificatione, legumque interpretatione doctè, ſapienterque inter ſe contendentes, non modò ſplendida, ſed ſolida

ma-

(*a*) lib. 2. de orat.

maximè , atque utilia , nedum in ſcholas ; verùm etiam , quod pluris refert , in forum adduxerunt. Quò factum eſt , ut juris civilis ſcientia , ſine qua humani generis ſocietas contineri non poteſt , à plurimis politioris juriſprudentiæ ſtudioſis aliquo tempore certatim fuerit illuſtrata , adeout ea , quæ olim erant perplexa , involuta , obſcura , undiq; labefactata ; dein magno cultu , & aſſiduo ſtudio , detersâ jam barbarie , magis , ac magis renovata , expolita , adaucta , exculta conſpicerentur. Sed proh Deus immortalis! quæ tanto ſtudio , ac labore à præſtantioribus pleriſque ingeniis in juriſprudentiam olim fuerant invecta , nunc , en rerum vicem! à quodam hominum genere , qui ſibi eruditi videntur , hebete , atque impolito nedum negliguntur , ſed nihil ad juriſprudentiam pertinere dicunt , nihil ex inanibus illis , ut ajunt , & obſoletis rebus ſe capturos utilitatis , qui in forenſem exercitationem incumbunt. Quid arrogantius , quid ſtultius de præclariſſima diſciplina cogitari poteſt? Ergonè tot eruditiſſimi viri , doctiſſimique

ju-

Digitized by Google

juriſconſulti aurei juriſprudentiæ ſeculi fruſtrà laborarunt, quum Accurſianæ, Bartholinæ ſcholæ barbarie ſubactâ, juriſprudentiam romanæ linguæ candore, atque retruſiori eruditione ad priſtinam lucem revocarunt? eloquentiam, quam ſibi comitem juriſprudentia ſemper habuit, intimam philoſophiam, à qua ſapientioribus viris leges proficiſci placuit, artem ratiocinandi, ſine qua diſciplinas, arteſque omnes, quæ ab humana ratione promanant, in maximos errores dilabi neceſſe eſt, quamque primi ordinis juriſconſulti, legumque conditores ſemper habuere præcipuam, linguæ latinæ cultum, ac ſtudium, quod hac etiam tempeſtate plerique juriſconſultiſſimi ad legum, forique exercitationem in hac ipſa ampliſſima Urbe ſumma cum eorum laude feliciter adhibent, nullius momenti eſſe arbitramini, minuſq; neceſſaria ei, qui juri civili operam navat? Oh tempora! oh mores! pudet me tantum facinus dicere, ſed tamen, ſi verum amamus, id dicendum eſt ſæpius, nimirum eâ virium contentione, ac conatu, quo

ple-

Digitized by Google

plerique ſummi juriſconſulti barbarum juriſprudentiæ imperium ſubegerunt, in hoc quidem feliciſſimo noſtro ævo, quo pulſa barbarie optimo artis criticæ uſu, ferè omnium ſcientiarum genera ad clariorem lucem extolluntur, quoſdam juriſconſulti nomine, ac dignitate planè indignos, omni mente, atque ſtudio niti, ut denuo revocetur, magiſque in dies augeatur: quin etiam eò crevit recens hæc forenſis barbaria ignaviæ fida, ac perpetua comes, ut quam temporum calamitate Accurſius, Bartolus, aliique eorum ſectatores paſſi ſunt, longè latèque ſuperaverit. Nam illi etſi rudes, & impoliti (quod temporum magis, quàm hominum vitio vertendum eſt) ſummo tamen ſtudio leges coluerunt, atque dialecticæ legalis ope ad oblatos caſus interdum a legibus non definitos, neque expreſſos pro re nata accommodàrunt. Hos ſanè antiquitatis æquè ac latini ſermonis incurioſos multa in jure civili peccaſſe nemo eſt, qui inficias ibit: nam ſæpe à recta, ac germana romani juris intelligentia, legumque veſtigiis diſcedentes, ſuis im-

mo-

Digitized by Google

modicis acuminibus ipſi ſe compungunt, ac inani ſubtilitate inter ſe digladiantur, non quidem ad res dubias, obſcuraſvè, ut oportet, enodandas, ſed potius ad certas, planaſque magis, magiſque tenebris involvendas; de quibus apud Cujacium lib. v. reſponſorum Papiniani *(a)* ſic ſcriptum habemus: Vim hujus reſponſi, & poteſtatem non benè percipiunt interpretes, inani ſermone imprudentia utuntur, ſunt verboſi, & prolixi, more ſuo, ut ſolent in re facili eſſe multi, in difficili muti, in anguſta diffuſi. Cujus rei ego ſum optimus teſtis. hæc illè. Mihi verò inter tot errores, quorum manifeſtò arguuntur, hac ſaltem non mediocri laude minimè defraudandi videntur, (purioris juriſprudentiæ cultoribus, vel ipſomet Cujacio, ultrò fatentibus) quòd dubitandi, & decidendi rationibus ex ipſiſmet legibus inter ſe commiſſis ſubtiliter eductis, etſi minùs verecundè, & eleganter expoſitis, multa pro dirimendis civilibus controverſiis, quæ in forenſi exercitatione quotidie emergunt, abundè ſuppeditaverint. Quam enim Bartolini dialecticam,

(a) ad l. 17. de injuſto rupto.

Digitized by Google

ꝺticam etſi inquinatam ex Arabum doctrina acceperant, eam in novis, ac quotidianis forenſibus quæſtionibus magna ingenii contentione, ac ſolertia adhibuerunt. Quò factum eſt, ut, Hugonis Grotii judicio, (*a*) in bono, & æquo, juſto, & injuſto tradendo, & definiendo plurimùm valuerint; quamvis temporum ſuorum infelicitas impedimento ſæpe fuerit, quominus leges rectè intelligerent; itaut ſæpe optimi ſint condendi juris auctores, etiam tunc quum conditi juris mali ſunt interpretes. Verum enim verò his teterrimis temporibus plerique opinionum huc illuc vagantium aucupes, relictis veſtigiis, quæ majores noſtri laudabiliter preſſerunt, ſine ullo rationum examine aliorum placitis ita ſe manciparunt, ut illis veluti quamdam legislatoris auctoritatem in perniciem, & oblivionem legum attribuere viderentur; immo verò non quidem legibus tanta honeſtate, ac ratione refertis, ſed hominum arbitrio quandoque temerè, & inconſideratè ſcribentium obtemperare non erubeſcerent. Itaq; hujuſmodi recen-

(*a*) De jure belli, & pacis in proleg.

D tis

Digitized by Google

tis fori cauſidici, qui non aliò vim ingenii tetendiſſe videntur, quàm ad alienas vulgarium auctorum ſententias tranſcribendas, non modò à ſplendida, elegantique Cujaciana familia, quam nondum ſatis cognitam per ſummam temeritatem, & impudentiam apertè contemnunt, ſed etiam ab Accurſiana, ac Bartolina, quibus adſcriptos ſe magnificè jactant, atq; oſtentant, meritò ſunt repellendi; ac potius cuidam hominum ſectæ accenſendi, qui non tam legum, quàm eorum ductu reguntur, quibus leges, penè dixerim, deſpectui ſunt, quique, ut cetera omittam, ſolidas res audacter abjicientes, tum maximè ſibi perbeati videri ſolent, quum meras nugas, ineptiaſvè pueriliter aucupantur. Satis id eorum ſcripta, quæ ſæpe ad manus habemus, demonſtrant. Mihi tamen hujuſmodi tam fœdæ, ac pernicioſæ doctrinæ cauſſas inveſtiganti, hæc inter plures præcipua in mentem venit, quòd relictis iis, ex quibus integra juriſprudentia conſtat, quibuſve ignoratis cæca erit, incondita, ac prorſus illiberalis

quæ-

quæcumque forenſis incidat doctrina, vanæ ſæpè, ac futiles ineptiarum quæſtiunculæ, nunquam, aut raró leges, quæ ſine ullo fuco quarumdam minutarum concluſionum nativam puritatem, majeſtatemq; redoleant, à præceptoribus tradantur. Quò ſanè fit, ut perdiſcentes exili, ac debili doctrinâ illâ imbuti, vix, aut nunquam provectâ ætate viam, à qua olim adoleſcentes aberrarunt, invenire poſſint: quòd ſi fortè aliquándo eam videre contigerit, viribus tamen eo tempore deſtituti, vel forenſibus curis diſtenti, quod enixè expetunt, aſſequi nequeunt, ac propterea (quod maximè ridendum eſt) haud ſcitu dignum exiſtimant. Tantus enim eſt illius doctrinæ, quam à præceptoribus quondam acceperunt, amor planè improbus, vel potiùs in rebus, quibus jam olim fuerant adſtricti, mentis pervicacia, ut turpe putent, quæ imberbes didicerunt, ſerò deſpicere, vel à recta diſcendi viâ aberraſſe fateri: illud quoque eveniet mali, ut nec facilè, ut ait Quintilianus, *(a)* inculcatas pueris perſuaſiones mutaveris,

(a) lib. 3. cap. 1.

 quia

quia nemo non didiciſſe mavult, quàm diſcere. Opportunè ergo conſulendum eſt juventuti, eidemque tradenda ea, quibus uno in conſpectu integræ jurisprudentiæ veluti imaginem, ejuſque facultates, ac partes omnes, quæ juriſconſulti comites; ac miniſtræ dicuntur, procul adſpiciat; ut ea, quæ deinceps in forenſibus rebus, civilibuſque verſantur, ad ſuas cauſſas, ac principia, duce philoſophiâ, revocatâ, mentique firmiùs defixa, uſus perpetuò ſcientiâ muniatur, ſine qua quum nonniſi fortuitò, ac ſine ullo conſilio juſti, atque injuſti diſcrimen inveniri poſſit, verendum erit, nè ſi fortè legum inſcitiâ, quam procul hinc abeſſe ducimus, advocatorum, ac judicantium cœtus turpiter teneatur, bona hominum, exiſtimatio, vita, civiliſque denique ſtatus brevì evertantur; nevè illud ſtudium, quod olim ad humani generis utilitatem divinitùs fuit inventum, atque inſtitutum, in ejus perniciem convertatur. Cui quidem malo Juſtinianum libello inſtitutionum artificio quodam, & expolitione diſtincto, occurriſſe

ad

Digitized by Google

ad unum omnes fatentur: quanquam, (ut verè dicam) plura in eo admodum neceſſaria, ſive ob ſuſcepti operis laborem, ſive ob aliam fortaſſe cauſſam, quam penitus ignoro, ad abſolutam juris civilis inſtitutionem compilatores omiſiſſe videntur. Nam quot, quantique tituli deſunt, quorum principiis, ac regulis in dies opus habemus, nec tamen illi ſuis inſtitutionibus ex ordine, ut par erat, adjecerunt? Quî fieri poteſt, ut iis ignoratis rebus ferè certis, ac fixis, quæ ad hypothecas, ac pignora, ad bonorum collationes, ad jus adcreſcendi, aliaſve maximas forenſes controverſias pertinent, adoleſcentes, emenſo jam ſtudiorum curriculo, atque è ſchola ad forum traducti, ea, quæ de ipſiſmet maximis rebus latiùs diſputantur, rectè intelligere valeant? Quod tandem os, quæve arrogantia eſt illius patroni, qui ad eas cauſſas ſine ulla ſcientia juris, nudâ tantùm minutarum quęſtionum congerie, atque inutilium concluſionum vanâ ſupellectili adjutus, audet accedere? Quid turpius, (*a*) quàm legitimarum, & civi-

(*a*) Tull. in orat. ad Brutum.

lium

lium controverſiarum patrocinia ſuſcipere, quum ſis legum, & civilis juris ignarus? Neque verò ego hoc tantum oneris imponam, ut homines adoleſcentes omninò à juriſprudentiæ ſtudio deterream: Sunt hæc magna quidem, at ſi eorum principia, regulaſque ſpectemus, paleſtræ magis ſunt, & olei, quàm civilis turbæ, & fori, quibus levi, ac ſimplici via ad juriſprudentiæ faſtigium paulatim accedamus. His itaque rebus ita perſpectis cognovi equidem, ac planè intellexi, me nunquam id, quod mihi ſemper animi fuit, aſſecuturum, integras nimirum juris civilis Inſtitutiones abſolvere, niſi quoddam veluti totius juriſprudentiæ ſpecimen traderem, in quo omnia, quoad ejus fieri poſſit, juris elementa, ac principia contineantur; ut iis, quæ in maximis civilibus controverſiis ſunt poſita, ad ſua capita, ac fontes, ut paulò ante dictum eſt, revocatis, uſum ſcientia comitetur, eidemque facem præferat. Plurium enim forenſium quæſtionum ambiguitatem vitabit, ac punctorum, ut dici ſolet, reſolutionem inveniet,

quæ

quæ ſæpè in foro variis, ac peculiaribus circumſtantiis illigata incidunt, qui mente his principiis invicem ſeſe adjuvantibus roboratâ, ad illa paratus accedat. Itaque his rebus conatum omnem adhibui, ut litium ſemina, quantùm in nobis erit, divellantur; ac fremant omnes licèt, dicam quod ſentio, & dicam breviùs, quàm res tanta dici poteſt: qui aliter jus civile tradunt, non tam juſtitiæ, quàm litigandi tradunt vias. Neque verò id arroganter dictum exiſtimabit, qui ſciverit tot, ac tanta detrimenta ſcientiis, boniſque diſciplinis fuiſſe ab illis importata, qui rerum dubitabilium copiâ in iis tradendis ſcripta ſua referſerunt; neglectis primarum, & certarum rerum generibus, de quibus dumtaxat ſcientia eſt. Qua ratione & nos fuimus adducti, ut viam, quam Juſtinianus ſuis Inſtitutionibus nobis oſtendit, ſanctiſſimè conſectaremur, ac illos titulos, quos eiſdem adjiciendos putavimus, qui ſanè multi ſunt, eadem methodo, quam ipſe præſcripſit, componere curavimus: ſiquidem omiſſis rebus inutilibus, ac ſpinoſis qui-

Digitized by Google

quibuſdam, ne dicam ridiculis quæſtionibus, optima tantùm, & quæ uſui prodeſſe poſſent, quæque integræ juriſprudentiæ imaginem præſeferrent, ſelegimus, ac in medium attulimus: adjectis etiam ad ſuas ſedes, ſingulaſque rubricas præcipuis legibus ad rem pertinentibus ex univerſo juris ſiculi corpore depromtis; ut nihil deeſſet, quod eum tenere oportet, ac diſcere, qui juriſconſultus eſſet futurus, quique ad forenſes, civileſque controverſias agendas præſertim hoc in regno, vocetur; idque an mihi benè ceſserit, aliorum ſit judicium. Illud tamen vobis perſuaſum eſse volumus, nos pro recta juris civilis inſtituendi ratione, ac viâ cupidæ legum juventuti pandenda, Juſtiniani menti adhæſiſſe, qui totius juris civilis elementa à præceptoribus tradi juſſit. Sequemur igitur hanc inſtituendi rationem à Juſtiniano traditam, non ut vulgares interpretes, qui rerum fontibus temerè deſtitutis, rivulos conſectantur, ſed ut illarum facultatum lumine adjuti, quibus jureconſultus ad maximos vitandos errores multùm admodum

dum indiget, ex ipſiſmet legibus rectè perpenſis ſententiarum ſemina hauriamus; atque ea, quæ Juſtinianus in animo habuit, inveſtigando, perfectæ juriſprudentiæ ſpeciem exprimere, ac cupidæ legum juventuti demonſtrare poſſimus. Pergite ergo ſelectiſſimi adoleſcentes, ut cœpiſtis, quos ſæpè me de inſtauranda juriſprudentia diſſerentem adire non piget; neque vos hujus ſtudii, in quo eſtis, pœniteat; fructum enim, quum adoleverit ætas, feretis: nunc verò obtrectatorum moleſtias, livoremq; ſufferre, & perpeti æquo animo oportet. Dixi.

CARMEN.

PLaudite Ioimanibus, ſtudiorum plaudite Alumpi,
Et reſonent dulces, quæ tacuere lyræ.
Clara novis radiis noſtra hæc Academia monſtret
Quid valeant Siculi viribus ingenii.
At primùm celebra juris ſtudioſa juventus
Hunc tibi fauſtum almo lumine læta diem.
Jampridem leges, digeſtaque jura Quiritum
Vidiſtis turpi delituiſſe loco,
Dum pecudum more ad rivos properare ſolebant
Cauſidici; à legum fontibus inde procul.
Nec puros illis latices guſtare licebat,
Dum latuit fons, quo juris origo ſcatet.
Proh dolor! hinc meritò è terris Aſtræa receſſit,
Et periit cælum non reditura Themis.
Sed tandem venit, placato numine, tempus,
Quo ſacri fontis lympha, aditusque patent.
Errores priſcos etenim AUGUSTINUS abegit,
Auſus inacceſſum pandere primus iter.
Ingenioque ſuo loca cæca, & inhoſpita luſtrans
Prævius inſuetos dux regit ipſe pedes.
Ergo quiſquis aves myſteria diſcere legum
Hunc pete; ſic nulli cognita multa ſcies.
Cæſarei juris totis ſpatiabere campis,
Nullaque tardabit te mora, nullus obex.
Hoc duce ſupremos fas eſt attingere honores,
Quo ſine nulla togæ ſpes tibi certa foret.

Joſephi de Joenio ex Ducibus Andegavenſibus.

ELE-

Digitized by Google

ELEGIA.

Poſtquam altâ fuerant artes caligine merſæ,
Unde homini manat cultus, & omne decus;
Horrida barbaries multis comitata periclis,
Trinacrias oras obſidione tenet.
Confeſtim rerum facies antiqua receſſit,
Deſiit & ſtudiis quiſque favere bonis;
Quæ tutò preſſere partes, veſtigia liquit,
Inque viros cultos jurgia ſæva fovet:
Quis credat! quæ nos artes ad ſydera tollunt
Heu ſepſæ tenebris, ac ſine laude jacent!
Undique certatim ſtudiis fera bella ciebant,
Nec ſtudia eſt viſum ſuccubuiſſe fatis;
Sed quò vix unquam reditus ſpes ulla ſubeſſet,
Corruptas artes ſubſtituere bonis.
O miſeras hominum mentes! quæ dira cupido
Impulerat veſtro damna fovere ſinu!
Trinacriæ hic fuerat ſtatus; iſthæc horrida imago,
Atque malis tantis nemo ferebat opem:
Cùm pater omnipotens ſortem miſeratus iniquam,
Heu quot, ait, tenebris hæc loca merſa jacent!
Nunc cultæ redeant artes, & priſtina ſumat
Barbarie excuſſâ, lumina quæque ſua.
Dixerat: & ſiculis jàm mentibus excidit error,
Ac puduit tantas ſuſtinuiſſe moras.
Paulatim ſtudia ad priſcum revocantur honorem,
Contractas maculas linquere quodque datur.
Romani eloquii princeps, ſpes magna Quiritum,
Qui fuerat longum pulſus in exſilium,

En repetit ſiculas, renovato tempore, terras;
Jam jamque egregium nomen in aſtra ferunt.
Altaque divini rediit jam muſa Maronis,
Unus, qui cunctos eminet arte viros.
Quid multa? en fauſto dicunt nos tempore natos;
Aurea quod redolet ſæcula priſca, ſenes.
At nondum latii juris prudentia formam
Incultam exuerat, barbariemque ſuam;
Ergo agitur furiis, fœdataque pulvere frontem,
Supremum vultu ſupplice numen adit:
Te ne tot ærumnarum, inquit, quibus undique cingor,
Nulla capit pietas, nullaque cura tenet?
Olli ſubridens magni regnator olympi,
Solamen miſeræ, talia voce refert:
Quid tantùm inſano juvat indulgere dolori
O mea progenies? deſine fata queri.
Ecce dies properat longos optata per annos;
Qua cunctis pateat priſtina forma tui.
Quem tibi præbuerat terrarum maxima Roma,
Sedibus in ſiculis jam renovatur honos.
Vix ea fatus erat, cùm tu vi numinis alti
Augustine gravis jura docenda paras.
Continuò aſpirat primo fortuna labori,
Et tantùm ſtultis barbara jura placent.
Eximias, quæ pacem artes, quæ bella gubernant,
Si tu non doceas, diſcere quemque pudet.
Mira canam; cunctis pondus cervicibus impar
Aſſumis ſolus, barbariemque fugas.
Ceu ſi per ſilvas, ubi cælum condidit umbra,
Omnia tuta putans fortè viator eat,

Agno-

Digitized by Google

Agnoſcens vix orta luce per invia ferri
　Præcipitem, pavido pectore flectit iter;
Haud ſecus, expulſis tenebris, incauta juventus
　Te præbente facem, priſca pericla cavet.
Ergo quis poterit grates perſolvere dignas,
　Et dare tot meritis præmia juſta tuis?
Vive diu felix, famâ ſuper æthera notus,
　Solus, quem nequeat frangere livor edax.

Nicolai Gervaſii.

O D E.

ILle, qui nondum fidibus canoris
Dexteram admovi, citharæque Phœbi,
Nulla quem natum placido Camœna
Lumine vidit,
Quem virum ſumo celebrare? Muſæ
Vos, quibus noſter ſacer hic receſſus,
Tuque dexter Phœbe ades, atque primis
Annue cœptis.
Quid prius tentem canere? an venuſti
Verba, quæ priſcum latii leporem,
Vimque Romanam redolent, nitenti
Ordine dicta?
Ut decet, qui delicias latinæ
Tullium linguæ ſtudet æmulari,
Aurea aut quotquot redimita lauro
Protulit ætas.
Tu, velut flumen, pluviæ frequentes
Quod ſuper notas aluere ripas,
Fervet, effuſumque ruit, profundo
Defluis ore.
Recta quænam ſit ratio docendi
Scire qui legum cupiat magiſter,
Te audiat, non hæreo, iterque carpet
Te duce certum.
Talibus doctæ ſtudiis juventæ
Creſcet, occulto velut arbor ævo,
Nomen, idque illuſtre fori jocoſa
Reddet imago.

Glo-

Digitized by Google

Gloriæ jam illam video forenſis
  Fronde cingentem meritâ capillos
  Jam tibi grates agere, & coronam
    Nectere laudum.
Tu decus juris ſtudio reducis,
  Quod fori indocti tenebræ tegebant,
  Ipſe formoſam ſpeciem ante noſtros
    Ponis ocellos.
Sicuti rebus redeunt colores,
  Spiſſa quos nigræ tulit umbra noctis;
  Sol ubi terras oriens coruſco
    Lumine ſpargit.
Muneris totum hoc tui, abit, fluitque
  Quod frequens Cujacii ab ore nomen;
  Gloriâ qua turgidus it ſonoris
    Sequana lymphis.
Phœbe muſarum, ac ſapientum amator
  Lesbiis dignum fidibus ſacrare
  Te decet, tantis ego nam ſilebo
    Laudibus impar.

Franciſci Teſta.

EPI-

EPIGRAMMA.

CEſſit ab ingeniis Juris Prudentia, culmen
Sublime incoluit, delituitque diu.
Transfuga, quòd verita aſpectus maculare venuſtos,
Mentita & vultus ſpectra fuere ſuos.
Vos, vos prima cohors, cui jam reperiſſe latentem
Noſtro AUGUSTINO ſub Duce ſorte datum.
Exul at Aſtræa, heus potiùs mihi plaudito, ſubdit
Quæ redeo huc lautis jam redimita comas.
Quas lauros reddam, cui debet Terra, Poluſque
Et docuiſſe Viros, & decoraſſe Deas.

Thomæ de Grua, & Talamanca ex Principibus Hyccarenſibus.

EPIGRAMMA.

CInge comas viridi, Juriſprudentia, lauro;
Gloria vix tua quò progrediatur, habet.
En fatis promiſſa dies, qua barbara curru
Jura triumphali vincta ferantur, adeſt.
Quam clarus virtute viam Cujacius olim
Ad leges pandit, ſæcula noſtra premunt.
Utque tibi extendat partum AUGUSTINUS honorem
Verboſi leges aptat ad arma fori.
Illa ſub hæc: quæ digna viro ſit gloria, dixit,
Exurgit tantæ quo duce molis opus?

Laurentii Caſtellionis.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA.

VUlgarat jam fama diem, quo forte parabas
Rectius ad leges pandere primus iter:
Horrida cùm ſubiit, vir maxime, Palladis aulam
Barbaries, dudum quæ ſacra jura premit:
Pendet ab ore tuo, raptumque extendere regnum,
Fati ignara ſui, te duce, poſſe putat:
Sed jaculis confoſſa tuis, correpta dolore eſt
Tam ſubito, ut lacrymas congelet: inde furit:
Reſciſſoque peplo; quod firmius ergo putabam
Imperium.... vix hæc: victa dolore cadit.

Alexandri Vanni.

EPIGRAMMA.

FErrea, quod latiis expulſa receſſerit ætas
Legibus, & vigeat, qui fuit ante nitor;
Quod gravis incedat juriſprudentia, turpem
Nec ferat indigno, quam tulit ore notam;
AUGUSTINE tibi referenda eſt gloria: nulli
Sorte datum laudes emeruiſſe tuas.
Hinc tibi contendit perſolvere præmia virtus
Magna, licèt meritis inferiora tuis:
At Phœbus, cui nota ſatis tua facta, rependi
Munera poſſe tuis dotibus apta negat:
Converſuſque tibi placido, vir maxime, vultu
Gaude, inquit, virtus ipſa ſibi eſt precium.

Horatii Vanni.

IINA-

Digitized by Google

ΙΓΝΑΤΙΌΥ ΤΟΥ͂ ΛΟΥΖΆΝΟΥ

ἘΠΙΓΡΑΜΜΑ

Χαίρετε, ὦ Σικελοὶ θέμιδος φίλοι ἀνέρες. ὑμῖν γὰρ
Ἐστὶ φάος μεῖζον γίγνεται ἐν δ' ἀγορῇ.
Ὁ ζόφος, αὐχμὸς, ἀνθρώπων τε ...
Στρεβλῶν τέχνης ... τῆς νομικῆς.
Τίς μετὰ ταῦτ' ὀρθῆς διαμαρτήσει κελεύθου
Ἀσφαλέα ... ἡγεμόν' ἔχων;

IGNATII LUZANI

EPIGRAMMA

Latinè redditum

AB ANTONINO COZZO.

O, Quos juris amor retinet, gaudete Sicani,
Luce nitet veſtrum ſplendidiore forum.
Nunc tenebræ, ſqualorque, & inextricabilis horror
Cauſidicûm clarâ cedit ab arte procul.
Quis recto poſthac alienum à tramite carpet,
Cauto hoc & tuto ſub duce, ſtultus iter?

AD AUGUSTINUM PANTÒ

ANTONIUS FRATER.

SI fratri fas eſſet fratrem extollere , laudes
Tot tibi præberem , quot mare præbet aquas .

FINIS.

Digitized by Google